

Quare dicatur originale, hic dicitur cum epologo.

JAM ostensum est quid sit originale peccatum, & qualiter à parentibus in filios, & per carnem in animam transeat: ex quibus etiam innotescit quare dicatur originale peccatum, ideo scilicet quia ex vitiosa lege originis nostræ, in qua concipimur, scilicet carnis libidinosa concupiscentia, traducitur; ut supra dictum est. Non enim quia ex carne traducta ab Adam concepti sumus; ideo peccatum traximus: quia & Christi corpus ex eadem carne formatum est, quæ ab Adam descendit; sed ejus conceptus est celebratus, non lege peccati, idest concupiscentia carnis, (unde caro ejus peccatrix non fuit) immo operatione Spiritus Sancti. Nosce vero conceptus non fit sine libidine, & ideo non est sine peccato. Quod evidenter Augustinus (Fulgentius) ostendit in Lib. de Fide ad Petrum cap. 11. sic dicens: „Quia dum sibi invicem vir, mulierque miscentur, sine libidine non est parentum concubitus; ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus; ubi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido; nec fecunditas naturæ humanæ facit homines cum peccato nasci, sed foedias libidinis, quam homines habent ex illius (10) primi justissima condemnatione peccati. Ideo beatus David propter originale peccatum, quo naturaliter obstricti sunt filii iræ, dicit Psalm. l. 7 In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ex hoc itaque apparet ex lege conceptionis traduci originale peccatum: quia nisi (11) conceptio sic fieret, in carne, anima ex carnis conjunctione concupiscentiæ vitium non traheret.“

Obiectio quorundam intendentium probare, peccatum non traduci ex lege coitus.

Sed ad hoc opponitur hoc modo. In ipso conceptu ubi dicitur transmitti peccatum, propagatur caro; nec tamen tunc infunditur anima secundum physicos, sed jam effigiato corpore: quod etiam Moyses in Exodo aperte significat ubi cap. xxi. 22. ait de percussura mulieris prægnantis. (12) „Si quis, inquit, percusserit mulierem prægnantem, & abortum fecerit, si adhuc informe fuerit puerperium, multabitur pecunia; si autem formatum fuerit, reddat animam pro anima.“ Formatum vero intelligitur propria anima animatum, & informe quod nondum habet animam. In ipso ergo conceptu cum caro propagatur, nondum infunditur anima. Quomodo ergo ibi peccatum transmittitur: cum peccatum non possit esse ubi anima non est? Ad quod dici potest, quia in illo conceptu dicitur peccatum transmitti, non quia peccatum originale sit, sed quia caro ibi contrahit id ex quo peccatum fit in anima, cum infunditur: & utrumque vocatur conceptus, scilicet cum & caro propagatur, formamque corporis humani recipit, & cum anima infunditur quod aliquando etiam dicitur nativitas: unde (13) dicitur Matth. 1. 20, quod natum est (14) in ea. Proprie autem nativitas dicitur in lucem editio.“

DIVISIO TEXTUS.

Ostenso quod peccatum originale est, & quid sit, hic prosequitur quasdam conditiones ipsius: & dividitur in partes tres. In prima determinat de peccato originali quantum ad ejus principium, ostendens quomodo traducatur. In secunda determinat de eo quantum ad ejus terminum, ostendens quomodo per baptismum remittatur, xxxi. dist. Quoniam supra dictum est, originale peccatum esse vitium concupiscentiæ... superest investigare quomodo in baptismo dimittatur. In tertia determinat de eo quantum ad ejus numerum, inquirens, an sit unum, vel plura, dist. xxxi. ibi: Prædictis adjiciendum videtur an peccata præcedentium patrum ad parvulos transeant. Prima dividitur in duas. In prima ostendit modum (15) quo peccatum originale traducitur; in secunda movet contra hoc quamdam dubitationem, ibi: Sed ad hoc opponitur hoc modo. Prima dividitur in duas. In prima determinat modum quo peccatum originale in nos pervenit; in secunda ex ipso modo concludit rationem nominis, ibi: Jam ostensum est quid sit originale peccatum. Prima dividitur in tres. In prima movet questionem, utrum scilicet peccatum originale per traductionem carnis in nos deveniat. In secunda excludit sententiam illorum qui per traductionem animæ peccatum originale in nos devenire dicebant, ibi: Putavere quidam, secundum animam trahi peccatum originale. In tertia ostendit qualiter secundum traductionem carnis originale peccatum traducatur.

(10) Al. deest primi. (11) Al. corruptio. (12) Vulgata: „Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum inarbitris mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.“ (13) Al. deest. dicitur. (14) Al. in te. (15) Al. quomodo.

atur, ibi: Est enim peccatum originale, ut supra diximus, concupiscentia, non quidem actus, sed vitium. Et dividitur in partes tres. In prima ostendit quod propter foeditatem quæ est in carne, cum traductione carnis simul culpa, vel poena traducitur. In secunda inquit de illa foeditate quid sit, utrum scilicet culpa, vel poena, ibi: Hic quæri solet, utrum causa peccati originalis... culpa sit, vel poena, sive aliquid aliud. In tertia ostendit quomodo illi qui ab hac foeditate purgati sunt, peccatum originale transmittere possint, ibi: Ne autem miremur, & intellectu turbemur... diversarum similitudinum inductione id posse fieri insinuat Augustinus.

QUESTIO I.

HIC quærentur duo. Primo de traductione originalis peccati. Secundo de subjecto ejus. Circa primum quærentur duo. Primo. Utrum per traductionem carnis originale traducatur. Secundo. Utrum in omnes homines necessarium sit originale peccatum transire.

ARTICULUS I.

Ut originale peccatum possit transire in posterum per originem carnis.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod per originem carnis originale à primo parente in posterum transire non possit. Actio enim personæ non extendit se ad naturam: quia persona inferior, & minus est potens quam natura in qua subsistit. Sed origo carnis debetur ipsi naturæ, cum generatio sit ordinata ad conservationem speciei, & non individui. Ergo peccatum primi parentis per originem carnis in posterum transire non potuit: quia hoc esse non potuit, nisi per actionem personæ natura inficeretur.

2. Præterea. Contrarium oportet esse idem subjectum. Sed infectio culpæ perfectioni virtutis opponitur. Cum ergo semen subjectum virtutis esse non possit, nec infectioni culpæ subijci poterit. Caro autem non traducitur nisi mediante semine. Ergo per modum istum mediante semine non poterit per traductionem carnis originale peccatum traduci.

3. Si dicatur, quod per libidinem coitus semen inficitur, & illa infectio est causa culpæ originalis; contra. Libido secundum August. (a) de Civ. Dei Lib. XIV. cap. xvi. & xix. dicitur improba voluntas. Sed improba voluntas peccatum est. Ergo si ratione libidinis culpa originalis causatur in nato, tunc natus traheret peccatum originale à proximo parente, & non à primis parentibus: & hoc est contra id quod infra Magister determinat.

4. Præterea. Illa infectio seminis defectus quidam est. Omnis autem defectus in nobis videtur vel culpa, vel poena esse. Aut igitur est culpa, aut poena. Culpa non potest esse, quia semen subjectum culpæ esse non potest: nec etiam poena, quia poena culpam præcederet, & culpa ex poena causaretur; quod est inconueniens. Ergo nullo modo potest ex infectione seminis peccatum originale in generatio causari.

5. Præterea. Etiam post baptismum, quamvis originalis culpa deleatur, remanet tamen concupiscentia in corpore per modum poenæ. Si ergo infectio concupiscentiæ in semine animam inficere posset culpa originali, etiam postquam homo à peccato originali mundatus esset, per concupiscentiam in corpore remanentem anima similiter inficeretur; & ita peccatum originale de necessitate rediret, quod est inconueniens: quia oporteret etiam de necessitate & poenam ejus redire, quæ est carentia visionis divinæ. Ergo non est possibile quod infectio seminis infectionem culpæ in anima causet.

Sed contra est quod Apostolus dicit ad Rom. v. 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit. Sed non potuit ex uno homine humanum genus infici, nisi eo modo quo totum genus humanum ex uno homine processit. Hoc autem fuit per originem carnis. Ergo hoc modo peccatum originale à primis parentibus in nos transit.

In II. Sent. Tom. II. (1) Al. causa. Forte etiam ea natura.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Lib. I. de lib. arbitr. cap. iv. circa med. & in fine, ubi eam vocat improbandam cupiditatem, vel culpabilem cupiditatem. Lib. autem III. cap. xvii. cupiditatem vocat improbandam voluntatem.

Præterea. Sicut se habet personale peccatum ad actum personæ, ita se habet peccatum naturæ ad actum naturæ. Sed peccatum personale, idest actuale, ex actu personæ causatur. Ergo & peccatum naturæ, scilicet originale, ex actu naturæ, in nobis efficitur. Sed actus naturæ est actus generationis, per quem ipsa natura speciei salvatur. Ergo per actum generationis peccatum originale in nos transit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in progressu originalis talis ordo servatur, quod persona naturam infecit per actum peccati, & naturæ infectio in personam secundario transivit; quæ à persona peccante propagatur: quod qualiter sit, videndum est. Sicut enim prius dictum est, hoc Deus humana natura in sui principio supra conditionem suorum principiorum contulerat, ut esset in ratione rectitudo quædam originalis justitiæ, quam sine aliqua resistentiâ inferioribus viribus imprimere posset: & quia hoc gratis collatum fuerat, ideo juste per ingravitudinem inobedientiæ subtractum est; unde factum est ut primo homine peccante, natura humana quæ in ipso erat, sibi ipsi relinqueretur, ut consisteret secundum conditionem suorum principiorum; & per modum istum ex actu personæ peccantis in ipsam naturam defectus transivit. Et quia natura deficiens ab eo quod gratis impensum erat, non potest causare hoc quod supra naturam collatum erat, cum nihil agat ultra suam speciem; ideo sequitur quod ille qui generatur ab habente naturam hoc modo deficientem, naturam in simili defectu suscipiat: quia actus personæ secundum conditionem suæ naturæ procedit, & ultra non se extendit. Inde est quod defectus in ipsam personam generatam redundat. Sed ratio culpæ inde venit, quia illud quod collatum fuit gratis, scilicet originalis justitiæ, non fuit sibi collatum personaliter, sed in quantum talem naturam habebat, ut omnes scilicet in quibus talis ab eo accepta natura inveniretur, tali dono potirentur; & ideo cum propagatione carnis etiam illa originalis justitiæ propagata fuisset. In potestate ergo naturæ erat ut talis justitiæ semper in ea conservaretur; sed per voluntatem personæ existentis in natura factum est ut hoc perderetur: & ideo hic defectus comparatus ad naturam, rationem culpæ habet in omnibus in quibus invenitur (1) communis natura accepta à persona peccante: & quia per originem carnis defectus iste naturali generatione traducitur simul cum natura, ideo etiam & culpa originalis per originem carnis traduci dicitur: & quia per voluntatem personæ ratio culpæ ad naturam transit, ideo dicitur personam naturam infecisse. Quia vero in personis aliis est originale peccatum à prima persona generantis, non est ratio culpæ ex ipsis, cum non propria voluntate peccatum tale incurrant; sed in quantum talem naturam cum ratione culpæ recipiunt. Inde est quod secundo natura personam infecere dicitur: inde etiam est quod ista infectio ex inordinata voluntate primi parentis, in ipso quidem primo parente fuit dupliciter, scilicet per modum peccati actualis, in quantum eam per propriam voluntatem contraxit, & etiam ulterius per modum peccati naturalis, in quantum natura in eo infecta est; in sequen-

Q9

quentibus autem non est nisi peccatum naturale. Ad primum ergo dicendum, quod quamvis natura absolute considerata, immobilis sit, tamen secundum esse suum considerata, oportet quod ad variationem personae varietur per accidens: constat enim quod deficiente hoc homine, deficit humana natura quae in ipso est; & ita etiam peccatum personale Adae in naturam humanam transivit, secundum quod in ipso esse habebat: ipso enim peccante privata est his quae sibi ratione naturae suae gratis concessa erant, & eo privato, etiam natura privata fuit, ut in ipso erat, & per consequens in aliis qui ab ipso naturam acceperunt erant.

Ad secundum dicendum, quod semen non est actu subiectum culpae, sed virtute tantum: hoc modo enim se habet semen ad peccatum originale, sicut ad naturam humanam: unde sicut in semine non est natura humana nisi in virtute, ita etiam nec originalis culpa: quia per virtutem quae est in semine, generatio ad naturam humanam terminatur infectam originali peccato.

Ad tertium dicendum, quod libido tribus modis dicitur. Uno modo secundum quod consistit in actu voluntatis, illicite & inordinate aliquid desiderantis; & hoc modo libido est actuale peccatum. Alio modo dicitur libido quae consistit magis in delectatione sensualitatis, & praecipue in actu generativae, ubi superexcedit delectatio; & sic est quidam ex peccato derelictum, non quia sine peccato non esset delectatio, sed quia inordinata non esset, quod nomen libidinis importat. Tertio modo potest sumi libido, quasi habitualiter, pro illa inordinatione virium nimia, ex qua est in nobis pronitas ad inordinate concupiscendum. A prima igitur libidine mens, cuiuslibet iusti generantis liberatur, cum contingat actum matrimonialem sine omni culpa & mortali, & veniali exerceri: unde constat quod non intelligitur illa libido transmitti originale peccatum in prolem: nec iterum illa quae est inordinata delectatio sensualitatis: etsi enim per miraculum a tali inordinatione delectationis coitus aliquorum purgaretur, nihilominus eorum nati peccatum originale contraherent. Unde patet quod libido tertio modo dicta, intelligitur esse peccati originalis causa: omne enim generans generat sibi simile in natura: unde cum haec sit conditio naturae humanae iustitia originali destituta, ut talis inordinatio virium animae in ea existat, constat quod etiam talis conditio in prole remanebit. Et si fervor coitus inventiatur dici causa originalis peccati, hoc non propter se dicitur, sed in quantum est signum eius (1) quod est sui causa: quia ex inordinatione virium inordinata delectatio in coitu procedit, quasi signum, & effectus causam suam indicans.

Ad quartum dicendum, quod illa infectio quae est in semine, sicut non habet rationem culpae, proprie loquendo, ante infusionem animae, ita nec poena: oportet enim esse idem subiectum culpae, & poenae: & ideo sicut in rebus irrationalibus non proprie est poena, quae de se ordinem ad culpam habet, ita etiam nec in semine poena potest esse; sed est defectus quidam, in quantum similitudo naturae generantis in semine virtualiter manet, per modum etiam

(1) Al. quod est substantiae causa. Nicolai: quod est vere causa. (2) Nicolai vir in libero arbitrio. Ex Edit. P. Nicolai. (a) Velut ex eius Commentario in Epist. I. ad Corinth. cap. xv. prius indicabatur ad marginem; sed Pelagii opus, non Hieronymi esse Bellarminus ostendit. Ibi porro sic tantum: Resurgemus omnes qui in adventu Christi mortui inveniemur: quasi tamen aliqui supponantur qui tunc reperientur vivi, ut & paulo post indicatur. Ex epist. vero ad Marcellam refertur Lib. IV. Sent. dist. xlii. & ad marginem ibi annotatur cap. iv. sed epist. cxlviii. q. 111. debuit annotari.

quo lepra in semine leprosi non est agritudo. Si tamen poena esset, posset esse causa culpae, non in quantum huiusmodi, sed secundum quod ex culpa causatur: virtus enim causae manet in effectu: unde quia per peccatum primi hominis ista infectio consecuta est in tota natura humana, ideo ubi inventum subiectum susceptivum culpae, habet rationem culpae in actu, sicut in puero iam nato; ubi vero hoc non invenitur, manet in tali infectione virtus culpae, ut sic causa culpae esse possit.

Ad quintum dicendum, quod cum peccatum originale per se loquendo, sit natura vitium, non potest causari per id quod est persona per se, sed solum per id quod natura debetur. Conservatio autem conjunctionis corporis ad animam, pertinet specialiter ad esse huiusmodi personae in natura humana subsistentis: & ideo talis conjunctio infectionem originalis peccati non facit in anima, nisi adiungatur aliquid quod per se ad naturam pertineat; & hoc est actus generationis, qui per se naturam conservanda debetur: & ideo ex concupiscentia quae remanet post baptismum, non infectur iterato anima illius qui baptizatus est, sed per generationem in filium suum traducitur, ut in originali nascatur.

ARTICULUS III.

Utrum sit necesse omnes homines nasci in peccato originali.

1. 2. q. lxxxii. a. 3. & de malo q. iv. a. 6.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non sit necesse omnes homines in peccato originali nasci. Baptismus enim reddit regeneratis per ipsum hoc quod per Adam perditum fuit: quia donum Christi excedit delictum Adae, ut dicitur Rom. v. Sed si Adam non peccasset, homines in peccato originali filios non generassent. Ergo & homines baptizati in filios peccatum originale non transmittunt.

2. Praeterea. Mors est poena originali peccato debita. Ergo ubi non erit mors, ibi non erit originale. Sed Hieronymus (a) super I. Corinth. cap. xv. ponit quosdam in fine mundi non morituros. Ergo videtur quod illi in originali non nascantur.

3. Praeterea. Sicut Deus ex costa viri mulierem formavit, ita etiam potens est nunc ex digito hominis, vel alio membro corpus humanum formare. Constat autem quod ille qui sic formatus esset, non descenderet ex Adam secundum rationem seminalem. Cum igitur haec fuerit causa, ut Augustinus, (Fulgentius) de Fide ad Petrum, cap. xxvi. dicit quare Christus originale non contraxit, quia non fuit in Adam peccante secundum seminalem rationem, videtur quod iste originale non habebit; & ita non est necessarium in omnes originale transire.

4. Praeterea. Si muliere peccante, quae ante virum peccavit, (2) vir liberi arbitrii remansisset, poterat etiam non peccare. Sed si Adam non peccasset, etiam muliere peccante, non fuissent ex eis homines in originali geniti. Ergo cum hoc fuerit possibile,

le, non est necessarium ut peccatum parentis primi, scilicet Evae, in omnes posteros ejus transeat.

5. Praeterea. Ut Augustinus dicit in littera, concupiscentia libidinis quae est in actu coitus, originale peccatum causat. Sed qualitercumque sumatur concupiscentia, potens est Deus ab ea hominem liberare per miraculum. Ergo contingit aliquem sine peccato originali nasci.

Sed contra est quod Apostolus Rom. v. 12. dicit: (2) Peccatum in omnes homines transit.

Praeterea. Ille qui non est peccato obnoxius, redemptione non indiget. Si ergo esset aliquis qui non in peccato originali nasceretur, praeter Christum, inveniretur aliquis qui redemptione facta per Christum non indigeret; & sic Christus non esset caput omnium hominum, quod non est conveniens secundum fidem. Ergo nec ponere quod aliquis sine peccato originali nasci possit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod necessarium est omnes qui ex Adam generantur per viam coitus, peccatum originale trahere. Cujus ratio ex dictis accipi potest. Ad esse enim originalis duo concurrunt, scilicet defectus quidam, principia naturae humanae consequens, & iterum quod fuerit in potestate naturae, ut isto defectu careret, vel non, sine quo ratio culpae in hoc defectu non esset. Utrumque autem necessarium est inveniri in illis qui ex Adam per modum dictum generantur. Si enim defectus ille non traduceretur, non posset contingere nisi per hoc quod natura generantis perfecte reintegrata esset: non enim potest contingere ut virtute naturae deficientis aliquid in natura non deficienti generetur. Natura vero humana in statu huius viae non reintegratur quantum ad id quod natura est, etsi per gratiam reintegratur quantum ad hoc quod ad personam pertinet, sed in futuro perfecte reintegrabitur in beatis. Unde oportet quod secundum totum decursum huius vitae, defectus iste ex parentibus in filios propagetur. Similiter etiam & ratio voluntarii, quae culpam causabat in natura, in omnes homines qui ab Adam naturam accipiunt, transit. Erat enim, ut supra dictum est, tali conditione sibi iustitia originalis concessa, ut omnes qui ab eo naturam humanam acciperent, simul cum natura & iustitiam consequerentur: unde quod illi qui ab ipso nati sunt, tali iustitia careant, ex voluntate ipsius Adae consecutum est: unde ratio voluntarii in omnes qui ab eo naturam humanam accipiunt, simul cum defectu transit: & quia genitum naturam recipit a generante, & patiens ab agente; ideo omnes qui secundum seminalem rationem, quae est virtus activa, ab Adam descendunt, oportet quod in culpa originali nascantur.

Ad primum ergo dicendum, quod redemptio Christi totum nobis reddit quod in Adam perdidimus; non tamen simul, sed unumquodque tempore suo: non enim per Christum in primum statum innocentiae perducimur, ut simus immortales in hac vita, sicut & Adam fuit; sed hoc per Christum in II. Sent. Tom. II.

(2) Vulgata: Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit.

Ex Edit. P. Nicolai. (a) Ex Augustino quidem Lib. XX. de Civit. Dei cap. xx. colligi potest. Ex Ambrosio autem, vel ex Commentario in Epist. Pauli, qui Ambrosii nomen falso praesertit, super illud ad Thess. I. cap. v. Rapiemur obviam Christo in aera.

tum in patria consequi speramus: & ideo per baptismum, & alia sacramenta, quae ex passione Christi virtutem sortiuntur, expurgatur homo quantum ad id quod personae est, & etiam quantum ad naturam in his quae personae sunt comparata, ut ipse homo in actibus personalibus peccato non serviat; sed non quantum ad naturam in his quae personae debentur: & ideo oportet ut per actum etiam naturae infectio originalis in prolem transeat, quamvis etiam pater sit a culpa originali immunis, secundum quod ad personam suam spectat. Sicut enim peccatum originale quilibet trahit particulari generatione sua, & non per generationem patris sui; ita etiam oportet quod & mundationem suam consequatur per specialem regenerationem suam, & non per hoc quod pater suus regeneratus est.

Ad secundum dicendum, quod hoc non conceditur ab omnibus, quod aliqui in fine mundi inveniantur qui non moriantur; immo Augustinus (a) Ench. cap. Lv. & Ambrosius, I. Corinth. xv. contrarium dicunt, & dictum Hieronymi Magister exponit in xlii. dist. IV. Libri hoc modo, quod dicantur illi qui inveniantur vivi, non mori, ex eo quod statim resurgent, & mors eorum brevissimo tempore erit. Si tamen detur quod non morientur, non sequitur quod sine culpa originali nascantur. Hoc enim ex specialia dispensatione Dei agerur ut hanc poenam remittat ex sua liberalitate: quia voluntas, & potestas ejus non est subdita ordini culpae ad poenam, sicut nec ordini naturalis causae ad effectum: potest enim facere, & facit quandoque Deus ut ignis non comburat, ut in tribus pueris patet Dan. iii. unde non est inconveniens, si faciat ut nati in originali non moriantur; & praecipue cum mori in actu non sit directe poena originali respondens, sed necessitas moriendi. Illi autem homines necessitatem moriendi in natura sua habebunt; sed hac positione facta, ab hac necessitate naturae per specialem gratiam liberabuntur; sicut necesse est secundum causas inferiores ignem comburere, a qua tamen necessitate pueri in camino per gratiam liberati sunt.

Ad tertium dicendum, quod si aliquis divina virtute ex digito formaretur, originale non haberet; haberet nihilominus omnes defectus quos habent qui in originali nascuntur, tamen sine ratione culpae: quod sic patet. Poterat Deus a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare quem in conditione naturae suae relinqueret, ut scilicet mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens; in quo nihil humane naturae derogaretur, quia hoc ex principis naturae consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpae, & poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. Similiter dico, quod in isto qui ex digito generatur, tales defectus essent, si principis suae naturae relinqueretur, nisi Dominus gratis hoc sibi velle conferre quod primo homini contulit; nec isti defectus ex voluntate primi hominis procederent: quia defectus non causantur ex voluntate primi parentis nisi in eis qui ab eo naturam accipiunt. Non autem aliquis accipit naturam a materia, sed ab agente: unde cum iste sit ab Adam solum materialiter, non

Q2

Ex Edit. P. Nicolai. (a) Ex Augustino quidem Lib. XX. de Civit. Dei cap. xx. colligi potest. Ex Ambrosio autem, vel ex Commentario in Epist. Pauli, qui Ambrosii nomen falso praesertit, super illud ad Thess. I. cap. v. Rapiemur obviam Christo in aera.

autem sicut à principio activo ab eo descendat, constat quod naturam humanam ab eo non accipit, nec culpam originale per eum incurrit, nec prædictos defectus: & ideo rationem culpæ, vel pænæ non habebunt, cum non comparentur ad voluntatem sicut ad causam.

Ad quartum dicendum, quod si mulier peccasset, viro non peccante, forte illa in peccato suo mortua fuisset, & Deus viro aliam uxorem providisset. Si tamen ex ea filios genuisset, dicitur quod illi filii passibilitatem, & defectus corporales contraxissent; non autem originale culpam, & defectus qui sunt ex parte animæ. Cujus ratio in evidenti est: quia secundum Philosophum (b) in IV. de animalibus, cap. 11. corpus non est nisi ex femina, anima autem est ex mari; non ita quod anima rationalis traducatur, sed quia in semine est virtus formativa, per quam in aliis animalibus inducitur anima sensibilis; in homine vero organizatur corpus, & præparatur ad receptionem animæ rationalis. Si autem è converso, Adam peccasset, muliere non peccante, filii ex utroque concepti utrumque haberent, & defectus animæ, & corporis: quia ex defectu animæ etiam defectus corporis causantur: deficiente enim priore, necesse est & posterius deficere; sed non convertitur.

Ad quintum dicendum, quod hoc non posset esse ut concupiscentia habitualis, quæ in deordinatione virum animæ consistit, tolleretur ex toto, nisi natura penitus reintegraretur: & hoc quidem nulli dubium est quin Deus facere posset: & si hoc fieret, proculdubio genii sine originali nascerentur.

QUESTIO II.

Deinde quaeritur de subjecto originalis peccati: & circa hoc quaeruntur duo.

Primo. Utrum originale sit in essentia animæ sicut in subjecto, vel in aliqua potentia ejus.

Secundo. Utrum generativa præ aliis viribus infecta sit.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum originale sit subjectivè in aliqua potentia.

I. 2. q. LXXXIII. a. III. & de malo q. IV. a. 5.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod originale sit in aliqua potentia sicut in subjecto. Illud enim quod est à corpore absolutum, & immateriale; non unitur corpori nisi mediante aliquo materiali. Sed anima rationalis absoluta est à materia, & immaterialis, ut in III. de Anima, text. xix. & xx. Philosophus probat. Ergo oportet quod uniat corpori mediantibus potentiis sensitivæ, & nutritivæ partis, quæ sunt materiales, & organis affixæ. Sed peccatum originale transit in animam ex hoc quod corpori conjuncta est. Ergo per prius invenitur in potentiis sensitivæ, & nutritivæ partis.

2. Præterea. Originale per originem traducitur. Origo autem humanæ naturæ est per actum generativæ potentia. Ergo in ea primo, & principaliter est originale sicut in subjecto, & non in essentia animæ.

3. Præterea. Concupiscentia, sive habitualiter,

(1) Supplet Nicolai: habet esse in potentia ut in in subjecto.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (b) Sive Lib. II. de generat. anim. ut inscribitur modo, cap. IV.

sive actualiter sumatur, ad vires sensitivas pertinet. Sed in præcedenti distinctione Magister dixit, originale esse concupiscentiam. Ergo est in potentiis illis sicut in subjecto, & non in essentia animæ.

4. Præterea. Sicut Augustinus dicit (de duabus animabus cap. x.) omne peccatum in voluntate est. Sed originale peccatum est. Ergo in voluntate est. Voluntas autem potentia est animæ. Ergo est in potentia sicut in subjecto.

5. Præterea. Pœna responderet culpæ. Sed pœna originalis, scilicet carentia divinæ visionis, est in ratione. Ergo & peccatum originale. Ratio autem potentia quædam est. Ergo originale &c. (1)

Sed contra. Per originale omnes potentias animæ inficiuntur. Sed potentia non ununtur nisi in essentia. Ergo originale per prius essentiam respicit.

Præterea. Originale est culpa, & infectio naturæ. Sed ad naturam per prius comparatur essentia quam potentia: quia essentia est pars essentialis naturæ. Ergo in ea originale principaliter est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod peccatum originale est in essentia animæ sicut in subjecto: quod sic patet. Philosophus in VIII. Metaphys. text. xv. ostendit, quod unio formæ & materiæ non est per aliquod vinculum medium; immo per se unum alteri unitur: alias non esset unio essentialis, sed accidentalis. Anima autem forma corporis est: unde oportet ut ipsa anima uniat per essentiam suam immediate corpori, ut ex ea, & corpore efficiatur unum, sicut etiam ex cera, & sigillo, ut in II. de Anima, text. vii, dicitur. Et quia originale causatur in anima ex conjunctione ejus ad tale corpus, prout forma est (sic enim ex utrisque conjunctis talis natura resultat) oportet quod in essentia animæ sit primo, & principaliter sicut in subjecto originale; in potentiis autem per consequens, sicut & supra de gratia dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod anima rationalis potest comparari ad corpus ut motor, secundum quod est principium aliorum operum, & ut forma. Si primo modo, cum actus quarundam potentiarum invenitur sine instrumentis corporalibus exerceri, aliarum vero cum corpore instrumentis; oportet illas potentias quæ in sua actione organo corporali non indigent, scilicet intellectivas, mediantibus sensitivis corpus movere, sicut plane in III. de Anima, text. xlv. ostenditur, quod ab appetitu intellectus non sequitur motus, nisi mediante appetitu sensus: & sic verum est quod anima rationalis unitur corpori mediantibus viribus sensitivæ partis. Si vero consideretur in quantum est forma, sic immediate corpori unitur: quia esse quod est actus formæ conjuncti, est ex anima, & corpore; originale autem non transit in animam, secundum quod conjungitur corpori ut motor, sed secundum quod conjungitur sibi ut forma: quia sic humanam naturam constituit.

Ad secundum dicendum, quod hoc modo per actum generativæ virtutis originale traducitur, sicut & natura humana: unde sicut non oportet quod principalitas humanæ naturæ in potentia generativæ consistat, ita nec quod ipsa sit primum subjectum originale, sed magis essentia animæ, quæ naturam humanam integrat, & constituit.

Ad

Ad tertium dicendum, quod, ut supra dictum est, concupiscentia non est totum esse culpæ originalis, sed solum id quod materiale in originali est; quod vero in eo formale est, ex parte voluntatis attenditur: & ideo in viribus superioribus, & inferioribus simul originale salvatur: & hoc non posset esse, nisi per hoc quod defectus, & infectio primo in essentia animæ invenitur, quæ utrarumque potentiarum principium est, ut sic ex ea in omnes potentias corruptio originalis transeat.

Ad quartum dicendum, quod peccatum omne in voluntate est sicut in causa; non tamen semper est in ea sicut in subjecto, cum etiam concupiscentibus, & irascibilis subjectum peccati esse possit: & hoc modo etiam originale in voluntate est sicut in causa, quia ex voluntate primi parentis in omnes transivit.

Ad quintum dicendum, quod per visionem Dei non solum ipsa ratio glorificatur, sed etiam totus homo: unde carentia divinæ visionis non est pœna tantum rationis, sed totius hominis. Neque oportet quod sicut divina visio est primo in potentia rationis, ita (2) & originale in potentia primo existat: quia originale consequitur naturam; sed beatitudo animæ in operatione quadam consistit: operatio autem potentia debetur, sed natura essentiam respicit: & præterea ad visionem beatam anima pervenire non potest sine lumine gratiæ, cujus subjectum est essentia, ut supra xxvi. dist. dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum potentia generativa sit magis infecta aliis potentiis.

I. 2. q. LXXXII. a. 3. & de malo q. IV. a. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod generativa non sit præ aliis viribus infecta. Illud enim quod non est aliquo modo obediens rationi, non potest virtute perfici, vel culpa inquinari. Sed potentia generativa est hujusmodi. Ergo in ea infectio peccati esse non potest.

2. Præterea. Potentia infecta non contingit esse actum sine peccato. Sed actum generativæ virtutis sine peccato esse contingit, ut patet in actu matrimoniali. Ergo generativa infectione peccati infecta non est.

3. Præterea. Infectio originalis peccati est per fomitem. Fomes autem est in sensualitate. Ergo & infectio in ea principaliter est, & non in generativa.

4. Præterea. Infectio peccati est in eo quod est subjectum peccati. Sed subjectum originale est essentia animæ, & non potentia, ut dictum est. Ergo in ea est infectio, & non in generativa.

5. Præterea. Nutritiva, augmentativa, & generativa ad eandem partem animæ pertinent, id est vegetabilem. Sed nutritiva non ponitur infecta originali peccato; nec iterum in augmentativa aliquid peccatum ponitur. Ergo nec generativa debet dici præ aliis viribus specialiter infecta.

Sed contra. Infectio originalis consistit in resistantia carnis ad animam. Hæc autem resistantia præcipue in actu generativæ sentitur. Ergo ipsa maxime infecta est.

Præterea. Illud quod est causa alicujus, maxime

(2) Al. & rationale.

participat illud. Sed generativa est causa infectionis originalis, quia per actum ejus traducitur. Ergo ipsa maxime infecta est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod infectio originalis peccati tribus attribuitur: quia inter partes animæ, attribuitur generativæ; & inter sensus, tactus, & inter vires appetitivas attribuitur concupiscentibus. Cujus est ratio, quia originale peccatum est nature, ut dictum est: unde infectio ejus ad illas potentias principaliter pertinet quæ aliquem ordinem habent ad actum quo natura traducitur. Actus autem ille duo habet, scilicet substantiam actus, & delectationem. Delectatio autem ad sensum tactus pertinet. Substantia vero actus virtutis generativæ attribuitur sicut exequenti, sed virtuti concupiscentibus sicut imperanti, quia ejus est tendere in id quod est conveniens, & delectabile secundum sensum: & ideo diversis rationibus his tribus viribus talis infectio præcipue ascribitur.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum actuale, quod consistit in actu ejus qui peccat, & voluntate, non potest esse in illa parte quæ rationi non obedit; nihil tamen prohibet quin in illa parte quæ principium naturalis operationis est, infectio naturæ salvetur. Sciendum tamen est, quod etiam actuale peccatum in generativa esse dicitur, non quidem sicut in subjecto, sed materialiter, in quantum scilicet concupiscentibus actum generativæ imperat.

Ad secundum dicendum, quod infectio generativæ est infectio nature: unde non oportet quod ex ea relinquatur infectio peccati per actum ejus in persona generante, sed solum in persona generata.

Ad tertium dicendum, quod si sit utilitate sicut in est infectio; in quantum ordinat & disponit actus generativæ; sed in generativa est immediate, secundum quod ipsa est immediatum principium traditionis nature. Sed verum est quod infectio fomitis in sensualitate principaliter ostenditur, secundum quod infectio nature redundat in infectionem personæ per actuales concupiscentias.

Ad quartum dicendum, quod infectio est in essentia animæ sicut in primo subjecto, sed in generativa sicut in cuius actu præcipue manifestatur essentia enim non est principium actus nisi mediante aliqua potentia: unde sic ex infectione actus non dicitur essentia esse infecta, sicut hic de infectione loquimur.

Ad quintum dicendum, quod generativæ ascribitur & originalis, & actualis peccati infectio. Originalis quidem, in quantum est principium actus naturalis, quo natura traducitur; sed actualis secundum quod habet aliquos actus exteriores ad generationem ordinatos, qui ad virtutem motivam sensitivam pertinent: & quia nutritiva similiter quosdam tales actus habet, ut apponere cibum ori, masticare, & delectationem sentire, & hujusmodi; ideo sibi etiam actualis infectio attribuitur quasi materialiter, non autem originalis, quia ipsa non est principium illius actus quo natura traducitur, nisi remote, in quantum generativæ deservit. Augmentativæ vero nulla infectio attribuitur, quia nec ad actum naturalis propagationis ordinatur, nec iterum habet actus exteriores qui per motum sensitivæ partis explentur.

EX-